Inter cetera pietatis opera unum precipue commendatur, scilicet dilatatio nominis christiani. Unde uero peccatis exigentibus tanta duritia corda cooperuit sarracenorum, ut quasi aspis surda ad uocem euangelii suas aures obturent, restat ut eorum perfidia gladio uel potentia repellatur, et munitionum oppositionibus eorum potentie resistatur. Cum ergo Toletana ciuitas peccatis exigentibus castris sarracenorum et munitionibus sit uicina, frequenter eorum exercitus insultu, in quibus et plures christianos captiuos ducunt, et plures etiam gladio feriunt. Transitus autem sarracenorum per quem plus predicta ciuitas infestatur est portus de Alhober, per quem quasi uia publica predictam ciuitatem non desinunt infestare. Unde uero uos domne Roderice Toletane archiepiscope hyspaniarum primas, ultra portum illum castrum quoddam construxistis quod Myraculum appellatur, et ibi multas tribulationes et labores et periculum capitis pro saluatione ciuitatis predicte et pro illustris aui mei domini A. regis bone memorie necnon et serenissime matris mee et in seruitio tolerastis, et etiam ibi de rebus Toletane ecclesie expensas maximas fecistis. Quia etiam deus per manum uassallorum uestrorum quorum sanguis ibidem effusus fuit a manibus sarracenorum predictum castrum expugnantium miraculose liberauit, predictum castrum ego FERRANDUS dei gratia rex Toleti et Castelle, una cum uxore mea domna Beatrice regina, et cum filio meo Alfonso, ex assensu et beneplacito domine Berengarie genitricis mee, cum omnibus terminis suis, ingressibus et egressibus, cum montibus, pratis, pascuis, defesis, piscariis, azudis, montatico, herbatico et portatico, cum sotis, do et concedo deo et beate Marie Toletane, et uobis domno Roderico Toletano archiepiscopo hyspaniarum primati et omnibus successoribus uestris in perpetuum libere et pacifice possidendum. Terminos autem ipsius propriis duximus uocabulis exprimendos. Ex una parte sicut prendunt montana a portu illo de Alhober usque ad portum de Orgaz cum omnibus uillaribus antiquis que continentur a predicto castro usque ad uiam antiquam que uadit a Toleto ad Calatrauam per portum de Orgaz, et cum Ieuenes, et cum Nauas de Vermudo, et cum Garganta de Babulea, et cum fontibus de Rabinat, et sicut prendit uia per Gargantam de Babulea et fontes de Rabinat usque Corralem rubeum. Ex alia uero parte sicut prendunt montana illa a predicto portu de Alhober per portum de Auellanas et de Machez usque ad Estenam, et ipsam Estenam cum omnibus terminis suis, et sicut prendit recta linea usque ad fontem de Guadiana, et omnia loca que infra hos limites continentur, scilicet domum Alhagin, et Campum de Almunia, et de Alcoba, et Sobredum de Michael Diaz, et Sotellum de Guter Suarez, et Nauas de Sancho Semenez, et ipsa foz de Guadiana cum suo riuo et caueis usque ad Duertiam. Hoc itaque predictum castrum cum omnibus predictis limitibus et terminis et uillaribus qui infra predictos terminos continentur do et concedo uobis irreuocabiliter possidendum. Siquis uero hanc cartam ausu temerario infringere uel diminuere in aliquo presumpserit, iram dei omnipotentis plenarie incurrat, et cum Iuda proditore domini infernalibus suppliciis subiaceat, et regie parti decem milia aureorum in cauto persoluat, et dampnum uobis super hoc illatum restituat duplicatum. Facta carta apud [illegible] VIII kalendas Februarii. Era M. CC. LX. anno regni mei quarto.

Et ego predictus F. rex regnans in Toleto et Castella hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo.

Rodericus prefatus Toletane sedis archiepiscopus hyspaniarum primas confirmat.

Mauricius Burgensis episcopus conf. — Aluarus Didaci conf.
Tellius Palentinus episcopus conf. — Alfonsus Tellii conf.
Geraldus Secobiensis episcopus conf. — Rodericus Roderici conf.
Lupus Segontinus episcopus conf. — Johannes Gonzalui conf.
Melendus Oxomensis episcopus conf. — Suerius Tellii conf.
Garsias Conchensis episcopus conf. — Rodericus Gonzalui conf.
Dominicus Abulensis episcopus conf. — Guillelmus Gonzalui conf.
Dominicus Placentinus episcopus conf. — Garsias Ferrandi maiordomus regine conf.
Johannes Calagurritanus electus conf. — Ferrandus Lagonis maior merinus in Castella conf.

Johannes domini regis cancellarius et abbas Vallisoleti.

Stephanus scriptor curie regis iussu cancellarii eandem SCRIPSI

447 ms